

Premium Petronianum Duodecimum (2024)

Thorsten Orthen

Thema 3

Plin. nat. VII, 88-90: Memoria

[...] somno quoque serpente amputatur, ut inanis mens quaerat, ubi sit loci.

Plin. nat. VII, 90.2:

Praeterea quasi caligine velata flagitia adducuntur in oblivionem vel quasi melle perfusa molliuntur, ne acerbitate mordaci assidue sollicitent animum. Ita Nero princeps urbem Romam urens incendiis in XVII volumine operis huius indicatis inlustrissimum, ut opinor, memoriae deceptae testimonium praebuit. Id ut plane noscatur, verba ex ipsis rebus Neronis principis gestis exponam.

„Nos“, inquit, „Antii quasi fulmine de Olympo in tergum misso prostrati lectoque affixi versantes commodaque rei publicae nihilominus summa industria tuentes per nuntium de calamitate magna urbem urgente certiores facti sumus. Sine ulla mora, at magnis cum doloribus, ad urbem profecti sumus auxilium laturi. Atque eheu nos miseros! Urbi citius propinquassemus, nisi retardati. Nos enim in raeda sedentes vixdum progressi eramus, cum radius dissiluit. Ne mora nihil proficiens transiret, unum ex pueris statim sacrificium Vulcano facere iussimus, ut deus ignipotens expiaretur. Radio sarto ac sacrifico facto confestim equis incitatis ad urbem ire pergebamus. At medio fere itinere iterum equos retinere coacti sumus. Nam quadrupes ipse quidem, fidissimus qui gregi adhuc praestabat itaque antevolans dicebatur, excellentissimus equorum nobisque carissimus, ex improviso sibi crus fregit. Vulner omnis modis sanare conabamur – sed frustra: vulnera ad extremum immedicabili iudicato equus nobis omnibusque quidem magno pectoris dolore affectis, sed tamen ex necessitate relinquendus. Longiore spatio temporis denuo intericto incendia iam ex longinquo videntes tandem ad urbem pervenimus. Quamquam campum Martis ac monumenta Agrippae ac hortos nostros extemplo patefecimus, subitaria aedificia exstruximus, utensilia arcessivimus pretiumque frumenti usque ad ternos nummos minuimus, immo enimvero omnia necessaria populo benignissime

suppeditavimus, adventus in urbem diu tardatus nihilominus ab hominibus malam in partem acceptus est.

Quid dicamus? Ή Φήμη ἐνίκησε τὴν Ἀλήθειαν. Nam illa in arte susurrandi est insuperabilis. Itaque res adversas ab inimicis in nos flexas esse apertum est, primum ut occasio iis data est. Ignis enim, summa aestate qui facillime ex aliqua popina taetra emicaverat, modo ad alias popinas transiluit, modo aedificia incendit, modo urbem inflammavit. Nos semper indulgentes semperque saluti publicae adhuc prospicientes a gubernaculo iam innocentes depulsum iri videbamur. Ergo consilio cum intimis habito nihil iam aliud nobis restare videbatur nisi ut – infandum dictu – par pari referremus. Ludi omni tempore multitudini placebant itaque ipsi mortiferentes auctoribus facinoris quocumque modo inventis plus etiam placebunt.“

Hinc redeundum – satis ut noscatur – ad nudam veritatem. Ita Nero princeps iam inmemor rerum gestarum se ad litteram inussit memoriae. Nam imperator vertens urbem aeternam in memoriam sibi parat eandem. Deinde digna memoratu etiam in amentia, si modo haec ipsa, reperiri auctor est ille princeps.

Plin. nat. VII, 91-92: Vigor animi

Animi vigore praestantissimum arbitror genitum Caesarem dictatorem, [...].